

Franckesche Stiftungen zu Halle

Memoria Franckiana

Cramer, Johann L.

Idsteinii, [1728?]

VD18 13537202

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:obv:ha33-1-198850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:obv:ha33-1-198850)

DEmortuorum quoque nobis habendam esse rationem, ipsa dictitat ratio, quæ vetat, cum Sepultis omnem Eorum Omnium sepeliri memoriam, cum iusti memoria sit in benedictione! Id Senecæ: *Vita mea imaginem Vobis testamenti relinquo!* Schola nostra huc usque in quam plurimis Virorum Pietate & Doctrina eminentium exemplis (per quæ ad Virtutem breve est iter,) utpote Brauniano, Elvverthiano, Gärtneriano, Schmidianis, Idsteniensis & Wisbadensis, Hedingeriano, Hochstetteriano, Majano, Herrnschmidiano, Sterniano, Schmidiano Helmstadiensis, juventuti Scholasticæ proposuit; Ergo, & Franckianam Memoriam eo, quem Fata dedere, ordine, in præsentis proponit, quam ut *Benevolus Lector serena*, (quod ajunt,) accipiat fronte, enixe rogaemus, ni tanti Theologi extantissima in Rempublicam Literariam, & Ecclesiam extarent merita: ni & complurium Scholæ nostræ antehac Alumnorum, de quibus *Theologus ille beatissimus immortaliter est meritis*, gratitudo post fata salva persisteret, quæ, hæc iusta iustissime solvi, evincunt.

§. **A**d quod accedit *Serenissimi Principis nostri gloriosiss. Mem. benignissimus* erga *Tantum Theologum* affectus, quo ductus *Spenerianos* & *Franckianos* V. D. Ministros in toto suo sibi optavit Principatu, & Franckianam petiit commendationem, qua Dn. *J. D. Herrnschmidius* D. Ss. Th. b. m. & S. T. Dn. *J. C. Langius*, D. Ss. Th. (quem Deus diutissime servet!) Viri meritis suis undique conspicui, tanquam *Summe Reverenda Rev. Ministerii Capita Nassiois* obtigere Ecclesiis. Huc facit *Franckiana Concio* A. MDCCXVII. Dom. XV. post Tr. Wisbadii: & alia Festo D. Matthæi Idstenii recitata, typis excusa, & *Ordini Ecclesiastico nostro* dedicata, singulari præfatione, Nos spectante, instructa; & alia plura, Nos *Tanti Doctoris meminisse*, volunt, jubent, urgent.

§ III. **D**Uobus superiorum Alumnorum Ordinibus *Theses Theologicæ & Carmi-* ni nuperrimo, eiq; *Gratulatorio*, annexæ; ut & *Logicæ & Metaphysicæ*, & ex juris *Prudentia* petita: ibi quoque obvia, non tanquam *Eridos pomum*, sed ut doctæ & placidæ disquisitionis themata, quoque prostant.

Tota Respublica Literaria, quæ nostra incolit *Mania*, & *Vicinia*, ea, qua par est, reverentia, oratur, rogatur, ut præsentia sua, eaque exoptatissima, conatus provehere nostros non gravetur. Id, quod gratissima colemus, recolemus mente!

Ἐπιτύμβιον.

D. M. S.
VIATOR,

Qui Te ex Theologia Via illi, quæ est Patria, preparas,
Collegii Hierosophici Cœlestis Candidate!
Ad Cippum hunc Frankianum adsta.
Morare! Mirare! Recordare! Imitare! Dole!
Festina! Despice! Obliviscere! Aspernare! Gratulare!
Quid Te velim, dicam, fingendi, fucandi, Arte exesse iussa,
Dum Alethæa ad perpetuas damnari nequit tenebras;
Hic sitas reperis Exuvias Mortalitatæ
Viri memoria, nunquam intermoritura, dignissimi,
Ad SS. Triados, cervina anhelatam siti, Visionem admissi beatificam,
D. VIII. Junii, ipso St. Trinitatis Feste, Anno MDCCXXVII.
Fuit Ille! (ô vox flebilis!) Fuit
Summe Reverendus, Excellentissimus atque Doctissimus,
DOMINVS, AVGVSTVS HEERMANNVS FRANCKIVS,
SS. Theol. Professor P. O. in Alma Fridericiana,
Pastor Ecclesie Glauchensis, post ad D. Ulrici, Orphanotrophij Director,
Regii Pedagogii & Gymnasii Urbici Scholarcha;
Vir suis in utraque Vineâ, Ecclesia & Scholis, inclutus meritis.
Doctrinæ & Pietatis radiis Christianum illustrans Orbem,
Et Indiæ Orientalis Malabaricas illuminans tenebras,
DEO, per hoc Electionis Organum, omnia operante.
Vin Ejus nosse Patriam, Parentes, Nomen & Nominis Omen?
Hæc tibi cape de Eo, quem terra non potuit capere, Cœlis Nato!
Patriam Urb. Imp. Lib. nactus fuit Anno MDCLXIII, Lubecam,
Emporium ad mare celeberrimum.
Lubeccensium Navigationes in extimas tendunt regiones.
Impiger extremos currit Mercator ad Indos,
Per mare, pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.
En Frankianam Doctrinam, Pietatem, Liberalitatem, Prudentiam,
Indiam Orientalem ad fugandam pauperiem Spiritualem percurrentem!
Dies Frankianæ Nativitatis fuit XII. Martii St. V.;
Quo Fortissimus nascebatur Dux in gerendis Domini bellis,
Cui Sacramento se obstrinxit ad S. Baptismatis undas.
Patre usus fuit Viro Probo, Egregio (satis pro titulo,
Ne cineres seculi nugis offendamus modestos.)
DOMINO JOHANNE FRANCKIO, ICto,
Capituli templi cathedralis Lubeccensis Syndico;

X 2

Post

Post Ernesto Pio, gloriosiss. M. Duci Saxo-Gothano, à Consiliis Anlicis,
 Mater erat Matrona spectata virtutis, A N N A,
 Ex celeberrima Gloxiniorum gente Lubeccensium Orta,
 Qua facta Vidua sibi hunc Filium, Septennem, habebat solatio,
 Sacris literis a teneris Unguiculis imbutum;
 Fidis Morum, & Artium Magistris traditum:
 Vivum Fidei Avitæ & Maternæ, Timothei instar, reconditorium:
 Gratia divinæ Gazophylacium: Pietatis Promptuarium:
 Holocaustum Dei Voluntati sacrum:
 Franckius optima spei & indolis Puer,
 Perpeti diligentia, & ingenii adjutus felicitate,
 Dei Benedictione laboribus adspirante,
 Tantam Divinarum & rerum Humanarum hausit notitiam,
 Ut ætatis Anno XIV. dignus Academiae fieri posset Civis:
 In Gymnasio Gothano in Pietate & bonis literis se totum exercuit:
 In Academiis, Erfurtensi, Kiloniensi, Lipsiensi,
 Vario Eruditionis genere quam dexterrime fuit institutus:
 Latina, Græca, Hebræa & aliarum, quas Oriens colit, Linguarum;
 Ut & Gallica, Italica, Anglicæ peritiam sibi comparavit;
 Philosophicis, Philologicis, Theologicis, profunde eruditus,
 Ut in Leucorea MDCLXXXV. Lauro Magisterii sit cinctus;
 Quem Humanæ Scientiæ apicem consecutus inter οὐβῶλα reputavit,
 Quæ veram non saperent Avto- & Christognosiam.
 Variis itineribus cum Piis & Eruditis multum versatus est Viris:
 Ahasv. Friischio, Seckendorffio, Bechmanno, Sandenhagio,
 Christoph. Cellario, Bajero, Sagittario, Scrivero, Edzardi, &c.
 Orbis Literati Luminibus.
 Eusebien vita & Morum suorum habuit Moderatricem.
 Socrates in omnibus Genium suum dicitur consuluisse;
 Franckius divinam voluntatem Actionibus suis præfixit metam;
 Ad quam (& Orbe & Orco fremente,) tenderent.
 Viator, qui hic moraris, ut moriaris,
 Necte, quæso, moras, Tibi morituro proficuas;
 Et Mirare Miranda in Franckio nostro:
 Orationem, Meditationem & Tentationem;
 Ista præcessit: illa processit: successit hæc quam optime;
 Ecce veri Theologi characterem indelebilem!
 Franckius, Puer decennis, à lectione se totum Orandi tradidit studio;
 Peculiari inclusus conclavi Deo supplicavit humillime,
 Ut ipsum Vas Misericordiæ suæ efficeret, sibi utile!
 Dimidium studii rite precatus habet!
 Pietas Franckiana omne præsidium in piis collocavit precibus.

Ob-

Obtinet à Christo quicquid Cananza, petendo
 Sic pete; sic vinces omnia dura fide!
 Jacobi cum Filio Dei luctantis exemplum imitatus devotus Franckius
 Lacrimando, Deum orando, extitit Israëlita.
 Non Cæsar, sed ipse Deus medius fuit
 Franckianas inter lacrymas & suspiria devota,
 Et hoc pacto a Spiritu Precum
 Vita Franckiana omnem traxit Spiritum; Fuit איש תפילה
 Adolescens stipendio fuit donatus Lubecensis Schabbelliano.
 Ecce mali patiens aliis succurrere novit.
 Mirare, Viator! Franckianam fidem Heroicam,
 Per Charitatem insolitam, non insolescentem,
 Sed humillime sese exerentem; insolita operantem!
 En Collegium Philobiblicum, ab ipso juvene, Lipsiæ institutum,
 Non lucro, non gloriæ captandæ, destinatum:
 Sed Animabus ad Deum adducendis, Officio sacro præparandis,
 Et hodie multo benedictionis genere dotatum!
 En Franckianum Diaconatum Erfurtensem
 A. MDCXC plurimo spirituali luxuriantem fructu;
 Inde Mundo & Erebo sudem in oculis!
 Hoc Promacho vel sub telorum pugnante umbra,
 Amore Christi ovante, spe sua damna levante,
 Extorri Erfordia Franckiana Pietati sua data est Pella,
 Hala Magdeburgorum, Ejusque recens fundata Academia,
 Ad quam A. MDCXCII evocata in sacros Se dispensavit usus,
 Dr. Franckius factus fuit Eccl. Glauchens. Past. Prof. Linguarum Græcæ & Hebr.
 Utrique officio Eruditio & Fides suffecit Franckiana eximie,
 In Salutem temporalem & æternam, ipsorum etiam Pauperum, intenta.
 Quare A. MDCCV. Orphanotrophium excitari cæpit,
 Esi non ex Negationis, certe ex Indispositionis, Nihilo,
 Initio Vix VII. suppetentibus Florenis,
 Cum id Operis regio fere sumptus poscere videretur,
 Quos & poposcit, æque ac obtinuit.
 Id Ducis de Alba videntis conatus Belgii, Libertatis vindices:
 Nada! Nada! Nihil! Nihil!
 Fortuna molimini Belgico adspirante, Poëta sic notavit:
 Crevit in immensum, quod fuit ante Nihil!
 Id ipsum in Franckiana Fiduciæ Monumenta quadrat,
 Orphanotrophium, Pedagogium Regium, & VII. mensas gratuitas,
 Quæ & omnia alia Orbis stupet, id Virgilianum recitans:
 Omnia nunc fiunt, fieri quæ posse negabam!

Exinde in vultu hominum millia multoties mille redundant commoda:

En vivi Dei Vestigia venturis quoque extantia seculis!

Principibus placuisse Viris non ultima laus est.

Augustissimo Regi Borussorum Franckiana perplacent opera,

Toto Christiano decantata orbe.

Ab Admiratione summi Militiæ navalis Dux nomen trahit,

Quis non admiretur Franckianam Directionem Tot Operum,

Deo opus dirigente, prudentissimam, optimam?

En Precum Franckianarum effectus divinos! documenta perenniora ære!

A. MDCXCVIII Professio Theologia P. O. Franckiana Fidei fuit credita!

Et A. MDCCXIV. Pastoratus Glauchensis cum Ulricensi fuit permutatus;

Sed & Adamantis instar Eadem semper fuit Franckiana Fides,

Immenso desiderio, Homines in cælum perducendi, laborans.

O desideratissimum Dei Servum, non facile nobis obvium!

Mirare, Viator! Meditationes Franckianas, quas legere, relegere, fas est.

Eas Franckianas juvenilibus annis non juvenilis curiositas,

Sed promovendus Dei honor, & salus proximi peperit:

Virili atate Fidelitas in Munere publico exegit:

In diversis itineribus curande Valetudini destinatis Occasio suggestit.

Nullus fere loco, quo iter deflexit, Franckiana Meditatione carente.

A. MDCCXVII. Idsteniana nostra Ecclesia, die divo Matthæo Sacra,

Franckiano, tum charissimi Hospitis, exultabat lumine.

Miranda sunt Meletemata Ejusdem Sacra,

Quæ Chrysostomi facundia, et Pauli recitavit gravitas,

Stimulis divinæ Virtutis in Audientium relictis animis.

Libri Franckiani Latine, Gallice, Italice, Anglice Russice versi,

Quin & in Malabaricam translati linguam,

Omni cælesti doctrina & vera Pietate turgent,

Succis captivis, quondam in Pathmo Siberiensi,

Longa Vita miserrima fastidia jucunde abstergentes.

Quid miri, Viator! si dubius hæreas,

Quid inter tot Miranda potissimum mireris?

Divinam Suadam? An Paræneticam gravitatem?

Fidem miraculosæ cognatam? An Charitatem singularem?

Curas tot millium salutis invigilantes? An humanitatem rarissimam?

Patientiam in ferendis adversis diu δυοφρούς & ευφρούς?

An animum semper sibi Constantem atque Serenum?

Collegialem in Dñi. Collegas Amorem candidissimum?

An ardentissimum in vinea Domini laborandi fervorem?

Et nullius, nisi in cælo sibi reposita, Mercedis desiderium?

Et quæ non?

Admiratio Te, Viator, cepit, nondum Te dimissura, illa Philosophiæ Mater.

Mi-

Miranda est Franckiana Tentatio,
 Qua juvenis Selenopoli, A. MDCLXXXVII. fuit conflictatus,
 Omni sensu divinæ gratiæ subtracto,
 Domino Jesu pugnanti clam adstante, Eumque juvante,
 Ut Victoria, tota vita memorabilis, fuerit deportata!
 Miranda sunt mendaciorum plaustra,
 Quæ Diabolus & Mundus in Franckianam innocentiam convexit,
 Vi veritatis eversa & in fumum redacta.
 Pia Mens nussitavit injurias, dixitque Deo Gratias,
 Miranda Patientia plusquam mille tentata casibus,
 Nunquam devicta, ubique Victrix!
 Miranda Fiducia, summa rerum inopia tentata, nunquam confusa;
 Novis divinæ Providentiæ Speciminibus aucta, firmata!
 Miranda Valetudo tot herculeis tentata laboribus,
 Non, nisi ultimo expugnata morbo!
 Mirandus Animus Franckianus in Dei Voluntate acquiescens,
 Mediis in dysuriæ, qui ultimus erat morbus, doloribus;
 Quibus exquisitissimis Ager se lubentissime subjecit, addens causam.
 Ut, Unde veniret? a Domino Jesu rogatus, respondere possit ex Apocalypsi:
 Ex magnis tribulationibus!
 Desine Mirari, Viator! Ast Dole! TANTI THEOLOGI Discessum!
 Tam Cani & Charissimi Capitis, & Prasulis Obitum,
 Dum Nivi colliquefcenti subinde Stercorea succedit via!
 Dole EVM desisse Esse, qui SS. Numinis & Regis Sui fuit delictum:
 Ornamentum Universitatis: Paupertatis Asylum:
 Probitatis veræ Paradigma: Pharus periclitantium;
 Orphanorum Pater; Viduarum Opitulator:
 A Bonis magni: à Se ipso parvi habitus:
 Satanici Regni Destructor; divini Promotor!
 Ante diem clauso componet vesper olympo,
 Quam Panegyrim absolvas Franckianam.
 Multo excellentius, quam Imperator, Probus, Theol. summus, Dn. Franckius.
 Vir fuit sui Nominis; Augustus, vere Augustus;
 Academiam, ut & Ecclesiam reddidit Augustiorem;
 Angustam ad Augustissima cœli palatia perveniendi Viam,
 Et Doctrina Augusta exemploque inonstravit Augusto,
 Per Augusta ad Augusta delatus.
 Heymannus, Dux exercitus bella Domin' gerentium, fuit & Franckius:
 In Filiorum Dei assertus libertatem, Dei & Hominum Servus.
 Fallitur, egregio quisquis sub Principe censet
 Servitium, nunquam libertas gratior extat,
 Quam sub Rege Pio, (potius) sub REGE REGENTVM!

Com.

Condole, Viator, *mæstissima & Pientissima Vidua*, Dn. ANNÆ MAGDALENÆ,
Perillustri ex Gente de Wurm natæ;

Quæ Suavissimum Maritum A. MDCXCIV. Conjugali Vinculo junctum
Dudum Mundo Mortuum, Sibi morte abreptum luet:

Sed & ut Anna, Dei nititur Gratia; ut Magdalena, extollit Deum.

Condole Filio unico, Paternæ Pietatis amulo, S. T. Dn. Gotthilff Augusto Franckio,
S. S. Theolog. Profess. P. O. Halensi, & Pastori ad B. M. V. meritisimo;

Et Dn. Patris Successori in Directoris Orphanotrophii Munere:

Condole Filia unica, Matrona pientissima, Dn. Johanna Sophia Anastasia,
Quæ S. T. Domino Joh. Anastasio Freytingshausen, optime nupta
Pastori ad div. Ulrici, diu fidissimo Dn. Soceri sui Parastata;

Dn. Patris fatum cum Filiabus duabus & unico amare deflet Filio.

Condole Ecclesia & Academia Halensi; Christiano, quaquaversum patet, Orbi!

Ast & gratulare, Viator! piis Manibus Franckianis de Pietatis fructibus,

Quos in Paradiso coelesti carpunt, & percipiunt. Gratulare de Fide,
Civitatem in cælo avide Expetante, Obtinente:

De Gandio, quo Pia perfusa est Anima,

Quod Spes & in Ipso præconceperat morbo,

Cum Agrotantis verba audirentur, cedro dignissima:

O quantum lætitiæ exsurgit, si prima vice videro Jesum!

Scilicet ubicunque locorum erat, Iesum desiderabat;

Quam lætus est, cum Eum invenerit!

Quem ceu Comprehensor jam tenet! O ægens Franckiana!

De quibus non loqui, tantum balbutire, nobis licet!

Multum, Viator! his legendis es immoratus.

O felicissimum, cui obtingat analysis Franckiana similis!

Quam quisque sibi per Vulnera, Christi precetur.

Sed et Festina, Viator!

Festina cum hoc Lotho Sodomis egredi mundi!

Despice cum hoc Mose Egypti thesauros & honores!

Obliviscere cum EODEM ea, quæ sunt à tergo;

Aspernare cum hoc Danielem mundi munera, quisquillas!

Et gratulare Omnibus in Libertatem Filiorum Dei hic persistentibus,

Et illuc, ubi perfectissima ipsis plaudit, beate delatis!

Vixit summus ille Theologus, FRANCKIUS, LXIV. annos, menses III.

Mortuus haud fuerit, sed vivit FRANCKIUS, atque

Lucet in æternum Fulgida Stella Poli!

J, Licet, Viator!

Franckianam intueri Vitam & Mortem,

Utramque Tibi Archetypum siste, Ectypo tuo dignissimum!

L.M. ponebat

J. L. Cramer,

Scholarum Rect. & Eccl. Past.

Dab. Jdstenii d. XIV.
Martii, A. 1728.

13. 600

A: 1138